



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Svmma Casvvm  
Conscientiæ, Sive De Instrvctione Sacerdotvm Lib. VII**

**Toledo, Francisco de**

**Coloniæ Agrippinæ**

40. De excommunicationibus non reseruatis in extrauagantibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40916**

tate. Idem etiam statuitur in cessationibus à diuinis generalibus Ciuitatum, Terrarum, & aliorum locorum, quas aliquando ex consuetudine, vel alias Capitula, vel Collegia, vel Conuentus secularium, vel regularium Ecclesiarum sibi vendicavit. Nota ex Gloss. quod hæc constitutio ligat omnes Religiosos mendicantes, & non mendicantes; non tamén clericos secularres; & procedit etiam si interdictum sit nullum, dummodo serueretur ab Ecclesia, Matrice, Cathedrali, vel Parochiali loco. Rursus ex eadem Gloss. non procedit in particulari interdicto hoc enim in loco particulari interdicto serueratur, & consequenter nec in interdicto personali, sed in generali loci, tam iuri quam hominis. Nota rursus, ex Silu. excommuni. 9. §. 92. quod si in aliquo loco non est Matrix, vel Cathedralis Ecclesia, sed Parochiales multæ æquales, tunc non satis est ad incursum hanc pœnam, quod una serueret, sed debent omnes seruerentur interdictum.

*De excommunicationibus non reseruatis in Extrauagantibus.*

C A P V T X L.

**P**rima habetur in extrauag. super gentes. de consuet. Vbi ipso facto excommunicantur omnes impedientes Nuncios, vel Legatos Romani Pontificis, ne ingrediantur Regna, Provincias, & Terras, ad quæ ipsos destinari congerit, aut ne libere legationis sibi commissa officium in eisdem exercant. Hodie hæc excommunicatio est reseruata in Bulla Cœnæ.

Secunda habetur in Extrauag. Ambitiosæ de empt. & vend. Ipso facto excommunicantur, qui ex tra calus à iure concessos alienant bona immobilia, vel mobilia pretiosa Ecclesiæ, aut ultra tres annos locant, aut alio contractu concedunt. Et non solum alienantes, & concedentes, sed etiam qui bona alienata, vel concessa ultra tres annos acceptant. Hæc est Pauli II. hæc secundum Caiet. verb. excommuni. cap. 75. non est vniuersaliter recepta, sed in aliquibus locis quantum ad aliquid. & silu. v. alienatio. putat non esse receptam. Puto quantum ad excommunicationem non esse receptam; quantum autem ad inualiditatem contractuum contra hanc constitutionem in-

torum

torum non esse vniuersaliter receptam; sed considerandam cf-  
se locorum consuetudinem.

Tertia habetur in Extrauag. quia nonnulli de sent. excom-  
muni. Excommunicantur ipso facto, qui impugnant literas e-  
lecti Papæ, etiam antequam coronetur, cum per ipsam electio-  
nem canonice factam, sibi ius Papatus sit acquisitum, & ca-  
nonica electione confirmatus sit, & exercere possit officium  
suum, etiam ante coronationem, ut habetur 23.d.can.in no-  
mine Domini. Hæ sunt excommunicationes, quæ in corpore  
iuris reperiuntur, nonnullæ aliæ supererant, nempe quæ in  
Concilio Lateranensi habentur: sed quia huiusmodi excom-  
municationes non sunt certæ, & Caiet. v. excom. versus finem  
& alijs viris doctis non videntur receptæ, ob id ego prætermi-  
si, cum idem mihi visum sit. Aliæ quædam sunt, quasum me-  
minit Antoni. & Silu. quæ non habentur in aliqua extraua-  
ganti scripta, nisi ex eorum relatione, quas etiam omisi, quia  
nonnullæ non habent auctoritatem. Nonnullæ alijs scriptis  
constitutionibus habentur.

*De excommunicationibus in Concilio Triden-  
tino positis.*

C A P V T X L I .

**I**N Concilio Tridentino nostris temporibus celebrato, non-  
nullæ apponuntur ipso facto excommunicationes, quas  
oporet explicare.

Prima habetur in sess. 4. Vbi excommunicantur omnes im-  
primentes, & imprimi mandantes, vendentes, apud se retinen-  
tes libros de rebus sacris, sine nomine auctoris, & sine appro-  
batione, examine prius ab Ordinario factis, & si regulares fu-  
erint, ultra examinationem, & approbationem Ordinarii ne-  
cessaria est proprij etiam superioris recognitio, & licentia iux-  
ta proprias ordinationes. Eadem censura ligantur, qui scri-  
ptos euulgant, aut communicant, nisi antea examinati,  
probatique fuerint. Debet autem hæc probatio in scriptis da-  
ri, & in fronte libri, vel scripti, vel impressi authenticèappa-  
rere.

Aduerte quod in hac parte renouatur decretum Concilij  
Lateran. sess. 10. vbi tales excommunicatione ipso facto ligantur:

tamen